

vernaculi nostrorum temporum ii, qui elegantis sibi et amoeni scilicet ingenii laudem vindicant, qui sensum pulchri omnem gloriantur secum et natum esse et extinctum iri, qui se venustatis leporisque vernaculi omnis auctores et iudices graues iactant, qui vindices se et statores sermonis patrii certos dictitant, eo licentiae progrediuntur, vt omnes glossas e libris et carminibus, atque adeo hymnis, superiorum saeculorum tollere audeant, et in earum locum verba suae aetatis substituunt; vt totam orationis faciem atque formam mutant et diffingant: tamen non modo valde iniqua est et iniusta illa ratio; quis enim, saluis naturae legibus, attingere possit verba aliorum integra, inuitis auctoribus, praesertim quum talis oratio vix possit ita mutari, quin simul sententia eius mutetur? sed etiam ipsi linguae vernaculae ita obest, vt posteri ignoraturi sint, quae fuerit eius, saeculo quoque, forma et facies, quae pulchritudo et venustas, quae vbertas et copia. Poëtae quidem recentis vtriusque linguae ab ista importuna vanitate et impudenti stultaque superbia alienissimi fuere, ita, vt, si viderent, carmina antiquorum poëtarum non intellegi posse, ob mutatum orationis genus, ab omnibus,

bus,